

## QUÆSTIO II.

Quanam sint species delictorum carnalium?

- 15** Recensitæ fuerunt in hoc cap. à numer. 22. Accenseri meretur I. lenocinium, quod juxta descriptionem Ursagæ *Instit. Criminal. lib. 3. tit. 5. num. 38.* est cooperatio exercita, alienæ libidini exercendæ, quæstus gratiâ.
- 16** Dicitur: exercita, id est, sæpius repetita: quia, ut scribit idem Author *num. 40.* ad hoc delictum requiritur actuum frequentia; nisi agatur de patre, matre, & marito, qui etiam, si semel permittant filiam & uxorem alterius libidini inservire, lenones dicuntur ob majorem obligationem, quam habent earundem pudicitiam conservandi. Vid. *l. ex lege 2. §. 2. & seqq. ff. ad L. Jul. de Adulter.* Committitur hoc crimen non raro à Cauponibus & balneariis, qui scæminas in caupona vel balneo retinent sub prætextu interveniendi, sed in effectu, ut viris se prostituant, quibus servitia ministrant *l. abletas 4. §. 2. ff. de his qui not. infam. l. palam 43. §. 6. & seqq. ff. de R. N.*
- 18** Committitur etiam ab iis, qui domum, viridarium, aut villam accommodant ad committendum adulterium vel stuprum *l. auxilium 37. §. 1. circa fin. ff. de Minor.* Pœna illius de Jure Communi est ultimum supplicium juxta *Nov. 14. in præfat. §. 1.* quæ in Nemeßi Carolina *art. 122.* confirmatur in casu, quo parentes suos liberos, aut mariti suas uxores quæstus causâ prostituunt. Blumlacher *ibid. in com. num. 1.* ubi in *num. seqq.* exceptiones facit, si nullum exinde lucrum senserint; aut si mulieres conniveant & dissimulent adulteria, à maritis perpetrata; aut si consuetudo locorum habeat, ut pœna capitalis non dicatur; aut si ipsum adulterium ex consuetudine non coërceatur pœnâ gladii, ne gravius vindicetur ministris criminis, quam ipse principalis delinquens.

## QUÆSTIO III.

Quot modis committatur crimen falsi?

- 29** Quatuor modis id committi, videlicet dicto, scripto, facto, & usu, liquet ex hoc cap. à *num. 76.* Ad dictum refert Ursaga *Instit. Criminal. lib. 2. tit. 5. num. 9.* falsam relationem alicujus nuntii, aded tamen, ut ad pœnam decernendam requiratur, quod nuntius fuerit pecuniâ corruptus.
- 30** Ad scriptum referuntur plura exempla. I. quando quis falsum testamentum scribit, aut subscribit, aut sibi ipsi contra voluntatem testatoris legatum adscribit *§. item lex 7. Instit. de Publ. Jud. l. pœna 1. §. 7. ff. ad L. Cornel. de Fals.* II. quando aliquis copiam, ab originali diversam, vel articulum quandam, suo fonti non correspondentem, transcribit *cap. cum venerabilis 6. §. intelleximus de Exception.* III. quando quis alienam manum aut sigillum imitatur, quascunque lite-

ras, attestaciones, aut instrumenta, scribendò aut sigillandò juxta *l. qui nomine 25. ff. ad L. Cornel. de Fals. & Ordinat. Criminal. art. 112.*

Ad factum reducuntur alia & multa exempla. I. si scripturæ, instrumenta, testamenta, libri furripiantur, supprimantur, occultentur *d. l. pœna 1. §. 4. ad L. Cornel.* II. si quis falsum partum supposuerit, ac scæmina scetum, ex alia susceptum, suum esse finxerit *l. cum suppositi 10. Cod. d. t.* III. si quis mensuram, pondus, merces, vinum, cereviam &c. falsificaverit, & pro re justa distraherit. *Ord. Crim. art. 113.* IV. si quis alienas literas, quibus maximè fovetur & continetur humana fides & societas, aperuerit per *cap. cum olim 33. de Off. & Pot. Jud. deleg.* Idque à fortiori procedit in Magistris & officialibus postarum, qui, cum publicam

Accensentur II. Varii coitus, ex personarum qualitate majorem turpitudinem habentes, ut si Christianus cum scæmina Judæa vel Turca, aut è converso, commisceatur per *l. si quis 6. Cod. de Judæis.* Si tutor curator virginem sibi concreditam cognoscat *l. un. Cod. si quis eam cuius tutor fuer. corrup.* Si mulier cum proprio suo servo seu mancipio (cujus sortis hodierni homines proprii in rigore non censentur) commisceatur *l. un. Cod. de Mulieribus, qua se propriis servis &c.* etiam si meretrix fuerit, congregiatur *arg. Nov. 134. cap. 9. in fin. in verb. ut non per hujusmodi occasiones inveniuntur circa castitatem injuriata &c.* Si ipse Magistratus seu Judex ejusmodi incarceratam vel aliam coram se conventam mulierem sub promissione liberationis aut favorabilis sententiæ vitaverit, D. Frölich à Frölichsburg in *Comment. ad Constit. Criminal. p. 2. lib. 3. tit. 7. sub num. 6.* Si quis cadaver defunctæ mulieris scædaverit, utpote quem sepulchri violati reum, & pœnis, in hujusmodi violatores constitutis, obnoxium pronuntiat *cit. Author num. 2.* ac in *l. 1. recensitorum scelerum pœnas examinat;* denique si quis Monialem seu Virginem DEO consecratam violaverit, de cujus supplicio quidem jam actum in *præf. cap. num. 51. & seqq.* memorabile tamen videtur, quod docet Ursaga *d. lib. 3. tit. 5. num. 51.* quod nempe ad evitandum præjudicium Monasteriorum; & detrimentum honoris familiarum, prudentes Antistites aliquando similia delicta relinquunt impunita, injunctâ solum pœnitentiâ salutari Moniali delinquenti, & sub gravissimis pœnis oretenus impostò sigillò aliis Monialibus.

blicam spondeant fidem, eam frangendò gravissimè peccant. Ludovicus de Ameno de *Delict. & pœn. tit. 6. §. 2. num. 19.* Ursaga *cit. lib. 2. tit. 5. num. 28.* apud quos, uti &

D. Blumlacher ad *Ord. Crim. art. 111. & seqq.* nec non à Frölichsburg ad *eand. Ordinat. p. 2. lib. 4. tit. 18.* ampliora de crimine falsi & ejus punitione videri possunt.

## CAPUT III.

## De Delictis Extraordinariis.

## SUMMARIUM.

1. & seqq. Num Astrologiæ professio in crimen incidat? Aliquot textus pro sententia affirmante. 4. Astrologi quæ talis non est mala. 5. Astrologiæ judiciaria quoad effectus naturales similiter non est perniciofa. 6. Est verò dete-

stabilis, si futura contingentia libera prædicat. 7. & 8. Et de hac intelliguntur textus adversi. 9. & seqq. Num alchimia sit delicto obnoxia? Rationes dubitandi. 12. & seq. Rationes negandi. 14. Satisfit rationibus dubitandi.

## QUÆSTIO I.

Utrum Astrologiæ professio in crimen incidat?

- 1** Dubium enascitur ex *l. artem 2. & l. nemo 5. Cod. de Malef. & Mathemat.* in quarum priori Imperatores Dioclet, & Maximin. artem gemotriæ quidem commendant; *ars autem mathematica*, iniquiunt, *damnabilis est & interdicta omnino;* in posteriori Constantin. & Julian. nemo, ajunt, *auspicem consulat, aut mathematicum, nemo ariolum; angurum, & vatum privata consulescat &c.* Quibus ad stipulatur D. Augustinus in *cap. igitur. 1. XXVI. q. 3.* ibi: *hi sunt, qui vulgò mathematici vocantur, cujus superstitionis genus constellationes latini vocant, id est, notaciones Syderum, quomodo se habeant, cum quisque nascitur. Primum autem iidem stellarum interpretes Magi nuncupabantur, sicut de his legitur in Evangelio, qui natum Christum annuntiaverunt. Postea hoc nomine soli Mathematici dicti sunt; cujus artis scientia usque ad Evangelium fuit concessa, ut Christo edito nemo exinde natiuitatem alicujus de Cælo interpretaretur.*
- 4** Verum distinguendum est inter Astrologiam seu Astronomiam simpliciter talem, & Astrologiam judicariam. Nam Astronomia simpliciter talis & secundum se considerata, quatenus mensurat & observat motus corporum cælestium, non solum vetita non est, sed maximè commendatur, & necessaria est in Ecclesia Catholica ad regulandum Calendarium pro Officio Divinò, celebrando Paschate, colendis que Festivitatibus mobilibus.
- 5** Econtra Astrologia judiciaria, quæ ex posi-

tionem Astrorum conjicit, quid ex causis cælestibus in hæc inferiora possit causari, est quidem etiam laudabilis & utilis, si purè se contineat in prædictione eventuum naturalium, præsertim in Medicina pro præscribendis pharmacis; in agricultura pro serendis seminibus, aut plantandis arboribus; in Navigatoria pro dignoscendis aëris mutationibus; at, ubi se extendit ad prædicenda futura contingentia, quæ pendent à libera voluntate humana, in quam influxus Syderum vim nullam habet, omnino illicita, & in textibus, citatis à *num. 1.* graviter interdicta est. Latè & exactè Ludovicus de Ameno de *Delict. & Pœn. tit. 6. §. 5. num. 1. & seqq.* Et hi Astrologi sunt illi Mathematici, de quibus *d. r. in Cod. inscriptus* est: *assumpserunt enim titulum hunc, ut sub specioso nomine scientiæ realis & verè nobilis, id est, Matheseos seu Mathematices, magos suos venditarent, prout notat Gothofredus ad *l. Mathematicos 10. Cod. de Episcop. ad lit. b.* Quod ipsum intellexit S. Augustinus, dum in *d. cap. illud. 6. XXVI. q. 2.* neque illi, ait, *ab hoc genere superstitionis perniciose segregandi sunt, qui olim Genethiaci propter naturalium dierum considerationes, nunc autem Mathematici vocantur. Nam & ipsi, quamvis veram stellarum positionem, cum quisque nascitur, consulentur, & aliquando etiam peruestigent, tamen quod inde conantur, vel actiones nostras vel actionum eventa prædicere, nimis errando, & vendunt imperitis hominibus miserabilem servitutem.**

## QUÆSTIO II.

Utrum alchimia delicto &amp; pœne sit obnoxia?

- 9** Ita concludendum suadet Extravagans spondet de *Crimine Falsi inter comman.* ubi sancitur, *ut, quicumque aurum vel argentum per alchimiam fecerint, vel fieri secusò factò mandaverint, vel ad hoc scienter (dum id fieret) facientibus ministraverint, aut scienter vel aurò vel ar-*

gentò nisi fuerint, vendendò vel dandò in solutum, verum tanti ponderis aurum vel argentum pœna nomine inferre cogantur in publicum, pauperibus erogandum, quanti alchimidicum existat; perpetua infamia notâ in facientes aurum vel argentum alchimidicum, aut ipsò scienter utentes statutâ.

10 *ca.* Quodsi ad præfatam pœnam pecuniariam exsolvendam delinquentium ipsorum facultates non sufficiant, poterit discreti moderatio Fudicis pœnam hanc in aliam (puta carceris, vel alteram, juxta qualitatem negotii, personarum differentiam, aliasque attendendo circumstantias) commutare. *Istas vero, qui scienter adulterinam ex auro vel argento alchimico cudunt seu fundunt, aut cudi seu fundi faciunt monetam, perpetuo infames, & bona ipsorum carceri deferenda esse, in cit. Extrav. constituitur; & si Clerici fuerint delinquentes, ipsi ultra prædictas pœnas, privari jubeantur beneficiis habitis, & prorsus reddi inhabiles ad habenda.* Sunt enim verò non pauci, qui sentiunt, alchimiam esse artem sine arte, cujus principium mentiri, medium laborare, finis mendicare; quive cum Eymerico in suo Directorio Inquisitionum putant, Alchimistas esse Necromantas, à fide deficere, Dæmoni cultum adhibere, ut ejus ope & opera aurum vel argentum fabricent.

12 Verùm, ut differit Ludovicus ab Ameno tit. 6. §. 4. num. 7. dura nimis est censura, per quam omnes isti Actistæ, tanquam cultui dæmonis addicti præscribuntur: hoc enim de omnibus universaliter censere, temeritatem sapit; præsertim cum omnes hujus artis proceres scribant, inventionem lapidis philosophici (quò mediante perficiunt metalla usque

ad veri auri coctionem) esse donum DEI, & petendam à DEO, qui tale donum non confert nisi ipsum timentem, & non habentem aviditatem divitiarum, sed purum desiderium juvandi proximum. Hinc est, quòd inter hujus artis Magistros habetur B. Albertus Magnus Ordinis Prædicatorum, qui non minori sanctitate quàm doctrinâ floruit; Raymondus Lullus tertii Ordinis S. Francisci, qui in Africa pro fide occisus fuit; Basilius Valentinus, devotissimus Monachus Benedictinus; Nicolaus Flamellus Gallus, qui omne aurum, quòd hâc arte paravit, consumpsit in fundandis hospitalibus ac locis piis, ut multos taceam. Hæc Ameno; qui in num. seq. 14 advertit, in cit. Extravag. sub memoratis pœnis tantummodò prohiberi alchimiam, quando argentum aut aurum conficitur ad cudendam monetam, ut tanquam instrumentum deferriat commercio humano & contractibus civilibus; non autem artem ipsam esse proscripam, neque auri argenteæ confectionem ad alios usus; v. g. ad faciendam vasâ, quæ ad speciem videantur aurea vel argentea. Et hoc passim fit, videntibus, scientibus, & tolerantibus principibus, quorum esset, artifices punire, si ars ista foret illicita.

Ut in omnibus glorificetur DEUS.



IN.



**I N D E X**  
**RERUM ET VERBORUM,**  
**IN HOC SUPPLEMENTO**  
**CONTENTORUM.**

*Numerus primus indicat paginam; secundus indigitat notam marginalem.*

**A.**

*Abbas.*

**D**E Benedictione Abbatum constitutio nova. 66. 173. & seq.

Abbas non-benedictus ex privilegio ordines minores conferre potest. 79. 5. & seq.

Abbatas exempti & Generales Ordinum ad Concilium generale vocari solent. 94. 58.

Tres Abbates Castrenses unum habent suffragium in Concilio Tridentino. ibid. 59. Alii etiam intervenire possunt, sed sine voto. ibid. 60.

De Nomine Abbatum Regularium. 101. 8. & 9.

Abbatas habent jurisdictionem ordinariam. 102. 10. & seq.

An Abbates nullius possint cognoscere de causis matrimonialibus? 115. 7. Affirmativa defenditur. ibid. 8. & seqq.

Abbatibus inferioribus causæ matrimoniales à Curia Romana committi haud solent. ib. 13.

Benè verò Abbatibus nullius. ibid. 14.

*Abbatia.*

Sine consensu S. Pontificis nequit erigi nova Abbatia. 155. 13. & 14. Nisi antiqua restituantur. 156. 15. Aut subiciatur Capitulo Generali, sitque mutabilis. 156. 16.

*Abbatissa.*

Abbatissæ possunt habere jurisdictionem ex privilegio. 102. 21. Possunt assumere Capellanos sine collatione tituli. 102. 22. & seq.

Ex privilegio Apostolico jus institutionis acquirere possunt, ut nomine Papæ exerçant. 103. 24. Non tamen institutionem autorizabilem. 103. 25.

Quâ ratione obtinere possint territorium separatim. 103. 26.

*Actio.*

Quomodo actiones legis distinguantur ab actibus legitimis? 105. 1. 2.

Actiones mixtæ quænam sint? 111. 5. In quo foro instituendæ. 111. 6. & seq.

Editio actionis fiebat quadruplici modò. 120. 2. & seqq.

Actiones æstimantur ex objecto. 162. 10. Aliqui excipiunt personales. ibid. 11. & seqq.

Distinguitur inter actiones, quæ tendunt ad factum vel rem immobilem. ibid. 14. & seq.

Responderetur ad contraria. ibid. 16. & seq.

Casus practicus. ibid. 18.

*Actor.*

In arbitrio Actoris erat, reum in jus vocare, aut actionem ipsi edere. 121. 6.

*Adoptio.*

An Adoptio de Jure Civili mandari potuerit? 104. 8. & seq.

*Advocatus.*

Jurisperitia in Advocato requisita. 110. 18. & seqq.

*Ætas.*

Super ætate dispensari solet, modò adsit usus rationis. 222. 1.

Valet dispensatio in alio impedimento, etsi recitetur ætas. ibid. 2.

Exponitur clausula, quòd malitia suppleat ætatem. ibid. 3.

*Alchimia.*

Num sit delicto obnoxia? 253. 9. & seqq. Rationes negandi. 254. 12. & seq. Satisfit rationibus dubitandi. ibid. 14.

*Anglica.*

Utrum Virgines Anglicæ sint verè Regulares? 149. 1.

Earum Regula à Clemente XI. approbata. ibid. 2. Non verò institutum. ibid. 3.

Non sunt verè Regulares. ibid. 4.

*SS. Apostoli.*

Quare in lege nova leges veteris testamenti observantur? 24. 12.

*Appellatio.*

Decretum Concilii Tridentini circa appellationem in causa visitationis. 143. 1. Quorundam illata doctrina. 143. 2. Opinio aliorum de appellatione in causa visitationis non sublata. 143. 3. & seqq.

Ap.